



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Sacrorvm Ritvvm, Sev Commentaria In Rvbricas Missalis Et Breviarii Romani

In quibus origo cuiusque Ritus, Causæ historicæ, vel mysticæ, ex maiorum ingenio, Theoria, Praxis, Obligatio, & exquisitus Vsus, additis opportunè Decretis omnibus S. Rituum Congregationis, quàm breuissimè explicantur

Gavanti, Bartolommeo

Antverpiæ, 1646

De nomine Officij & Horarum Canoniarum. Cap. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40233

COMMENTARIA IN RVBRICAS BREVIARII ROMANI.

SECTIO PRIM A.

De Horis Canonicis in genere.



D pleniorē de Horis Canonicis tractationem, prænotanda putauimus ea breuissimè, quæ Theologi, Canonistæ & Summistæ de Horis iisdem docuere, hoc est, de Nomine, Origine, Numero, Obligatione, Defectibus & pœnis ad Officiū diuinum pertinentibus.

SECTIONIS PRIMÆ CAPITA SEX.

- | | |
|---|------------------------------------|
| 1 De nomine Officij & Horarum Canonicarum. | 2 De mutatione Officij diuini. |
| 2 De origine Officij diuini. | 3 De intentione diuini Officij. |
| 3 De partibus diuini Officij, & Horarum numero. | 4 De attentione diuini Officij. |
| 4 De obligatione Officij diuini. | 5 De prolatione diuini Officij. |
| 5 De defectibus in Officio diuino contingentibus. | 6 De tempore Officij diuini. |
| Tit. 1. De omissione diuini Officij. | 7 De loco diuini Officij. |
| | 8 De ordine diuini Officij. |
| | 9 De interruptione diuini Officij. |
| | 6 De pœnis circa diuinum Officiū. |

De nomine Officij & Horarum Canonicarum. CAP. I.

1 **O**fficium est quasi efficiū, secundū Hieron. in lib. de Officijs; vnicuique enim conuenit suū efficere officium; vel,

secundū Isidorum, vt quisque illa agat, quæ nulli officiant; vel, secundū eundem, est proprius, congruus actus cuiusque personæ secundū mores ciuitatis, vel institutæ professionis. Diuinum dicitur, quia est proprius actus eorum qui Deo sunt dicati.

A

2 Hora

2 Comment. in Rubr. Breuiarij. Sect. I. Cap. II. & III.

2 *Horæ dictæ sunt, vel ab orando: nam hora idem videtur esse ac, ora, cum aspiratione, Deum. vel melius: quia definitis horis ex instituto Ecclesiæ recitantur, Azor. par. 1. lib. 10. cap. 1. quæst. 1.*

3 *Canonica appellantur, id est Regulares, quia iuxta regulam Ecclesiasticam. Alij dixerunt, quia Canonico- rum Choro addictorum sunt preces, Azor. ubi supra. Alij, quia Canonicum & Ecclesiasticum sunt idem. quod probat Steph. Duran. lib. 3. de Ritibus cap. 1.*

4 *Horæ Canonica dicebantur Cursus à S. Germano Parisensi Episcopo, vt in eiusdem Vita cap. 64. & 79. scribit Fortunatus Pictauiorum Episcopus, contemporaneus eiusdem, apud Sur. Tom. 3.*

De origine Officij diuini.

CAP. II.

1 **A**postoli ab Hebræis accipere horas orandi: & hora Tertia erant orantes in Pentecoste, *Act. 2.* Hora Sexta Petrus orabat, *Act. 10.* Ad horam Nonam ascenderunt in Templum Petrus & Ioannes, *Act. 3.* Media nocte orabant Paulus & Silas, *Act. 16.* quare easdem horas præscribere fidelibus, ex *Clem. lib. 8. Constit. cap. 40.* Non ergo Pelagius I. vt ait *Maurolycus in Martyrolog. 27. Augusti*, neque Pelagius II. vt voluit *Polydor. Virgil. lib. 6. de Inuent. rerum cap. 2.* neque Damascus, ex *Pontificali cap. 39. in eius Vita*, dicendi sunt auctores, sed ij vel formulas Officij Decretis firmauerunt, vel ritus amplificauerunt.

2 *Certè Gelasius I. & duo Gregorij, I. & VII.* formulæ Officij, qua

nunc vtimur, dicuntur Constitutores & Reformatores à Pio V. in *Bulla sua initio Breuiarij edita*, & non alij.

3 Præterea certum est, non eodem tempore Horas omnes institutas fuisse. Nam Primam & Completorium vltimò fuisse additas, docet *Radulphus Tungrensis Prop. 14.* & nos dicemus, cum de singulis Horis agemus, *Sectione quarta.*

*De partibus diuini Officij,
& Horarum numero.*

CAP. III.

1 **S**eptem horæ sunt, & octo, de quibus fortè mandatum accipis, vt des illis partem, *Eccli. 7.* Communior est opinio, septem esse, Matutinum, Primam, Tertiam, Sextam, Nonam, Vesperas, & Completorium. ita in *Concil. Cabilon. II. can. 59.* iuxta illud *Psal. 118.* Septies in die laudem dixi tibi. *fusè Azor. cap. 1. quæst. 2.*

2 Qui volunt esse octo, diuidunt Laudes à Matutino, & deducunt ab *Esdra lib. 2. cap. 9.* Qui quater in nocte & quater in die iussit laudari Deum. lege *Nauarr. de Orat. cap. 3.*

3 Romæ nullum fuit interstitium inter Matutinum & Laudes, vt testatur *Amalar. in Prolog. de Ord. Antiphonarij.*

4 Ordo Horarum patet ex *cit. Concil. Cabilon.* quamuis *Rabanus lib. 2. de Institut. Cler. cap. 3.* easdem numeret, incipiens à Laudibus, quas vocat Matutinas preces, & eas terminet in nocturnas Vigilias: sed hæ certè, hoc ordine posito, spectarent potiùs ad sequentem quàm ad præcedentem diem.

5 Non caret mysterijs, hic numerus